Quelle: https://manuscripta.at/?ID=46681
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



cem aruerunt. Alia aut ceciderunt in spinas. et creuerunt spine et suffocauerunt ea. Alia uero ceciderunt in terram bonam. et dederunt fructum. aliud centesimum. et aliud sexagesimum. aliud tricesimum. Qui habet aures audiendi audiat. Et accedentes discipuli dixerunt ei. Quare in parabolis loqueris eis. Qui respondens ait illis. Quia uobis datum nosse mysterium regni celorum. illis autem non est datum. Qui enim habet dabitur ei. et habundabit. Qui autem non habet. et quod habet auferetur ab eo. Ideo in parabolis loquor eis quia uidentes non uident. et audientes non audiunt. neque intelligunt. Et adimplebitur in eis prophetia ysaie prophete dicentis. Auditu audietis. et non intelligetis. et uidentes uidebitis. et non uidebitis. Incrassatum est enim cor populi huius. et auribus graue audierunt. et oculos suos clauserunt. nequando oculis uideant. et auribus audiant. et corde intelligant. et conuertantur. et sanem eos. Vestri autem uero oculi quia uident. et aures uestre quia audiunt. Amen quippe dico uobis quia multi prophete et iusti cupierunt uidere quod uidetis et non uiderunt. et audire que auditis et non audierunt. Vos autem audite parabolam seminantis. Omnis qui audit uerbum regni et non intelligit. uenit malus et rapit quod seminatum est in corde eius. Hic est qui semen iuxta seminatus est. Qui autem super petrosa seminatus est. hic est qui uerbum dei audit. et continuo cum gaudio suscipit illud. non habet autem in se radicem. sed est temporalis. facta autem tribulatione et persecutione propter uerbum continuo scandalizatur. Qui autem in spinis seminatus est. hic est qui audit uerbum. et sollicitudo seculi huius. et fallacia diuitiarum suffocat uerbum. et sine fructu efficitur. Qui uero in terram bonam seminatus est. hic est qui audit uerbum. et intellexit. et fructum affert. et facit aliud quidem centesimum. aliud autem sexagesimum. aliud uero tricesimum. aliam parabolam proposuit illis dicens. Simile est regnum celorum homini qui seminauit bonum semen in agro suo. Cum autem dormirent homines uenit inimicus eius. et superseminauit zizania in medio tritici et abiit. Cum autem crescisset herba. et fructum fecisset. tunc apparuerunt. et zizania. Accedentes autem serui patris familias dixerunt ei. Domine. nonne bonum semen seminasti in agro tuo. Unde ergo habet zizania. Et ait illis. Inimicus homo hoc fecit. Serui autem dixerunt ei. Vis. imus. et colligimus ea. Et ait. non. Ne forte colligentes zizania. eradicetis simul cum

ipsis tritico. Sinite amb[illegible]

ipsis tritico. Sinite amb[illegible]